

2/89

IDIBVS APRILIBVS

MCMLXXXIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 12

FASC. 76

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	öS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	öS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri haec legentes!

Vere ineunte vobis et imaginem et carmen huic anni tempori
grato et iucundissimo aptum propositurus sum:



Ecce gratum
et optatum
ver reducit gaudia,
purpuratum
florete pratum,
sol serenat omnia.
iam iam cedant tristia!
aestas redit,
nunc recedit
hiemis saevitia.

Iam liquescit
et decrescit
grando, nix et cetera;
bruma fugit
et iam sugit
veris tellus ubera.
illi mens est misera,
qui nec vivit,
nec lascivit
sub aestatis dextera.

Gloriantur
et laetantur
in melle dulcedinis,
qui conantur,
ut utantur
praemio Cupidinis.
simus iussu Cypridis
gloriantes
et laetantes
pares esse Paridis!

(Carmina Burana, 143)

In mea patria Berna, quae ursum in signo (Wappen) suo habet, id animal, quod multis locis orbis terrarum imprimis puellis et pueris gaudium maximum affert (num quis ignoret ursulum lusorium nostra lingua "Teddybär" appellatum?), plurimi aestimantur. Bernae et in fossa ursorum et in vivario ursi vivunt, coluntur, educantur.



Mos est tempore vernali ursulos, qui anno superiore circiter diebus natalibus nati sunt, primum in publicum prodire. In nostra imagine unus ex tribus ursulis die 21^o mensis Decembris anno praeterito natis cum matre, ursa Turcensi (türkisch), cui nomen est Yedi, primam ambulatiunculam extra stabulum sub caeli axe suscipit.

In carmine autem, quod in ea praeclara anthologia XIIⁱ saeculi, cui nomen "Carmina Burana", invenitur, non de ursis, sed de laetitia maxima reditūs veris, quae homines commovet, cum hieme severa digressa rerum natura revirescit, agitur. Ceterum componista celeberrimus Carolus Orff inter alia hoc quoque carmen pulcherrime musicis modis aptavit (vertonen) in illo opere, cui titulum "Carmina Burana; cantiones profanae cantoribus et choris cantandae comitantibus instrumentis atque imaginibus magicis".

Sint vobis et imago ursuli cum matre et carmen signa atque omina veris revertentis et vires recentes bonumque animum vobis praebentis ad omnes res novas incipiendas, quas perficere in animo vobis est. Quidquid agitis gaudentes omnibus, quae rerum natura revirescens praebet, velut hilaritate, sole, variis floribus, avium cantibus, amore, vobis contingat!

Valete!

D. Weissmann

Daniel Weissmann



DE ITINERE HIBERNICO

(narrationis pars quarta et ultima)

Tunc autem Henricus: "Adhuc", inquit, "tantummodo insulae partem septentrionalem et occidentalem vidistis. Tempus ergo est, ut vos in meridiem ducam. Mirabimini tempestatem meridianam paene tropicam!" Velocitate ergo rapidissima per comitatus aliquot vecti sumus ad Senum flumen, quem nave transportatoria transiremus. Ulteriore in ripa comitatus Kerriae (Kerry) nos salutavit, sed etiam nebula vix perspicibilis, qua sol prohibebatur, quominus "meridiem tropicum" radiis suis calefaceret! Cum neque apricari neque mari lavari possemus, nil mansit nobis nisi cibus delectari. Escam vero Hibernicam non omnibus placere constat. Cibi bene condiuntur, sed nimio pinguis assantur vel coquuntur. Praeterea Hiberni secundum sententiam "Bonum est, quod multum est" vivere videntur, quoniam catilli nobis in cauponis appositis semper angustiores erant, quam ut cibos amplecti possent. Qualescumque cibos commendaveramus, semper et poma terrestria fricta nobis allata sunt, quia poma terrestria fruges quasi nationales sunt Hiberniae. Cuius rei non inscii tamen stupuimus valde, cum cauponius quidam olim etiam pistam (1) pomis terrestribus frictis exornatam nobis attulisset. Coqui Itali si talem rem animadvertissent, manus super caput connectentes "Dio mio!" exclamassent. Mane tota in Hibernia quaque in domo "B & B" inscripta parientaculum offeritur: cafea theave, panis albus et panis fuscus, ova assa, perna, tomacula, butyrum, marmelata floccique illi mayde effecti atque "corn-flakes" vocati. Imprimis tomaculis Monica et Henricus abhorrebant, dum ego diligo ea valde. Pretium pernoctationis ientaculique inter 9 et 10 libras Hibernicas est.

Crastino die, etsi nebula nondum aufugerat, iter per Kerriam perreximus. Ante meridiem Traliam (Tralee) intravimus, oppidum Kerriae longe notissimum ob certamen quoddam, quo de pulchritudine muliebri certatur: Mense Septembri virgines Hibernicae origine undique Traliam confluunt, ut certamen participant. Quae victrix pulcherrima discesserit, "Rosa Traliensis" vocabitur. Similis res in Donegalia (Do-

negal) fieri fertur, ibi autem non Rosa traliensis, sed Maria Dungloviensis (Mary of Dungloe) creari.

Traliae musicopolium adiimus phonocasetas empturi musica Hibernica instructas. Carmina Hibernica seu agunt de rebus historicis, velut de pugnis innumeris pro libertate recuperanda gestis, seu de Hibernis in Americam emigrantibus vel traductis, sive de ludo amoris aeterno, quo nil plurifor-
mius esse poëtae affirmant.

Praeter Monicam meam vix umquam mulieres, virgines puellas-
ve tam formosas videram quam in Hibernia. Quod autem maioris immo momenti est, non formosas tantum eas esse invenimus, sed humanas etiam, hospitales, caras mitesque. Cuiuscumque coloris sint licet earum capilli, semper fere aliquid russi vestigia cerni possunt. Pelles plerarumque ephelidibus (2) suavissimis dulcissimisque ornantur, quae partim faciem tantum, partim et brachia cruraque plane operiuntur. Quantum creationis miraculum! Cum enim sol in Hibernia paulisper luceat atque, si lucet, non eadem vi ardeat, qua in aliis regionibus, pelles Hibernorum Hibernarumque albae manerent, nisi a Deo ipso iam ephelidibus essent defuscatae!

Post Traliam paeninsula quaedam spectat in océanum Atlanticum, quae via strata circúmdatur, cuius nomen Anglice "Ring of Kerry", Latine autem "Circulus Kerriensis." Quam viam litoralem plurimi peregrinorum pulcherrimam Hiberniae viam iudicant, at nebula impedivit, ne nimiam eius pulchritudinis partem videremus. Extremam autem cum paeninsulae marginem attigissemus, ecce subito sol fulsit parebuitque nobis aspectum splendidissimum in Valentiam insulam (Valentia Island), quae ponte coniuncta est cum terra solida. Tandem Henricus exultandi habuit causam: "Quid dixi? Nonne meridiem tropicam fore praedicavi?" Obmutuimus et mirabamur.

At interea "irreparabile tempus fugerat" veneratque dies valedicendi. Sicut die primo et eo die ultimo sol caelo de caeruleo radios misit mites, dum nos per comitatus Kerriae Tipperariaeque (Tipperary) rediimus in eundem vicum Newmarket-on-Fergus, quo pernoctaveramus nocte prima. Eadem familia nos iterum hospitaliter accepit: "En nunc, peregrini, placetne vobis Hibernia?" Respondendi vix eramus periti, quia laus Hiberniae scientiam linguae Anglicae nostram longe antecessit.

Nocte ultima praeterita hospitibus Hiberniaeque valedicentes Senipolim petivimus, ut aëroplanum attigeremus. Londini operistitio operariorum aëriportus diutius retenti sumus quam amabamus, at hora circiter decima vespertina salvi sanique Turicum appulimus. Salvi sanique?? Ex eo tempore morbo laboro gravissimo, desiderio enim Hiberniae revivendae!

S L A N !

(=Bene valete!)

1 pista, -ae (f)

Pizza/ pizza/ pizza

2 ephelis, -idis (f)

Sommersprosse/ tache de rousseur/ freckle

Martinus Meier



Tempora mutantur sive de collegio Brigensi

Nemo est, quin vitam cottidianam valde mutatam esse sciat. Sed scitote, cari legentes, id nusquam tanta vehementia et celeritate factum esse, qua in regione mea. Ubi terrarum sunt haec loca amoenissima? Libenter tibi dicam: Vallesia (Wallis) est, quae provincia vere ignota non est, cum permulti homines omnis orbis terrarum iter faciendi cupidi hic feriis fruuntur. Ego Natrienses (Naters) sum, qui vicus prope Brigam (Brig) situs est (spero non quemquam amicorum meorum Natriensum hoc lecturum esse, cum Natrienses videlicet dicere soleant Brigam viculum prope urbem gravissimam Natriensem situm esse. Legentibus morum Helvetiorum minus peritis adnotandum est hanc consuetudinem amoris patriae superbi morbum terrae nostrae esse, qui nostra lingua "Dörfligeist" dicitur). Invitus igitur de archiinimico loqui cogor! Eheu, ne me absorbeat Tartarus, cum ea a quibusdam hominibus leguntur. Sed ad rem revertar! Facillime haec mutatio maxima omnium fere rerum exemplo collegii Brigensis ostendi potest.

Non modo libelli sua fata habent, sed etiam aliqua collegia. Brevissime narrabo. Anno Domini MDCLXII (1662) ordo societatis Iesu a Casparo de Stockalpero invitatus coepit iuventutem Vallensem ad astra ducere. Et multos per annos patres Iesuitae collegium Spiritus Sancti regebant. Sed etiam post ultimum exitum horum monachorum anno (Domini hoc loco scribere vix audeo) MDCCCXLVII (1847) spiritus eius ordinis permanebat.

Certe nunc exspectatis me ostenturum esse, quomodo vita in nostro collegio sit. Aetate maiorum meorum res multae differentes ab temporibus nostris erant. Tum discipuli rarissimi erant: circa centum quinquaginta usque ad ducentos numero gymnasium frequentebant, omnes scilicet sexus Adami erant.

Pueris familiarum nobilium exclusis cuncti fere a sacerdotibus vici mittebantur, ut item clerici fierent, et saepe studii sumptus a sacerdotibus illis solvebantur, quia parentes rustici montani pauperrimi erant.

Ne commemorare obliviscar: pro puellarum eruditione ordo Sanctae Ursulae institutum condidit, quo discipulae non modo artem coquendi, sed etiam linguas modernas, mathematica ceteraque optime discebant. Fratres (aut, quamquam severissime vetitum erat, amici) eorum alias materias tractabant, praecipue sermonem optimum, scilicet Latinum, linguam Graecam, philosophiam, praeterea physica et multas alias res. Parvi discipulorum magistrorumque numeri causa alii alios optime noverant, et amicitiae ibi pactae saepe in aeternum permanebant.

Magna pars discipulorum in collegio edebant et dormiebant. Raro suorum videndorum facultas eis erat. Bis domum reverti poterant: tempore paschali et natali. Ad iter faciendum nihil eis erat nisi pedes. Itaque iter saepe octo vel decem horas durabat. Cibus erat promiscuus neque ulla variatio eos delectabat. Omnes magnis in dormitoriis dormiebant. Tota fere vita studiis explebatur, tempus studiis incumbendo vacabat neque erant hae res ad animum oblectandum et avocandum, quibus nostra iuventus vitam degit, velut discothecae, magnetophona radiophonaque portabilia (quae "Walkman" dicuntur), ludi computatores (Computerspiele) aliaque delectamenta.

Die dominico magna migratio Brigensibus gaudio erat, cum discipuli professoribus ducibus iter facerent militari ordine per vicum. Discipuli quoque valde delectabantur, quoniam multi homines eos videre poterant – tum enim honor erat discipulum esse. Omnibus praesentibus cottidie missa celebrabatur.

Forsitan vobis, cari legentes, traditio Iesuitica scaenicos ludos agendi nota est. Cuius rei conservandi collegium oblitum non est. Vere ineunte quoque ludi scaenici aguntur. Olim autem pueri muliebres quoque personas agebant, cum episcopus Vallesiae vetuisset mulieres in collegio agere. Et nostra aetate? Pars tertia discipulorum puellae sunt. Numerus discipulorum valde crevit, nimis, ut mihi videtur (circa mille sunt); saepe enim discipuli magistris anonymi sunt et inter se non iam cohaerent. Olim omnes fere magistri sacerdotes erant, nunc septem tantum ex octoginta. Itaque missa cottidiana non iam celebratur nec migratio die dominico committitur. Nemo Graecam, non multi Latinam linguam tractant. Discipulorum libertas multo maior est quam tempore avorum nostrorum. Sed puto me verum dicere: certe vita durior erat, multa praecepta observanda erant, tamen (vel propterea?) iuvenes tum contentiores erant quam nostris temporibus; an fallor?

Itaque, viator, cum provinciam meam visitas, sta et i ad collegium Brigense: Tria saecula ibi te exspectabunt et in te spectabunt.

Vivat, crescat, floreat collegium Brigense!

Gerd Dönni



FABULA DE NUCIS RAMO

Mercator quidam dives in terras alienas saepe se conferebat negotia gestum. Quodam die a filiabus suis discedens: "Filiolae", inquit, "mihi carae et acceptae estis. Vobis gaudium magnum affere velim. Domum rediens vos muneribus pulchris afficiam. Dicite, quaeso, quid optetis." Filia

eius maxima natu: "Patercule", inquit, "opto, ut mihi torquem e margaritis factum donum afferas." Et filia eius minor natu: "Velim", inquit, "me anulo gemmis pretiosissimis ornato dones." Filia minima natu autem: "Cupio ramum nucis virentem. Hoc enim signum erit te semper mei memorem esse." Pater filias osculans: "Omnia optata", inquit, "vobis contingent." Tum in viam se dat. Iter faciens emit anulum torquemque. Ramum nucis virentem autem non reperit. Postremo ad silvam densam venit. Maestus iter faciens subito ramum nucibus aureis ornatum super caput pendentem conspiciat. Quem laeto animo decidit et petaso suo affigit. Tum vero ingens ursus multas minas iactans ex arbustis in mercatorem prorumpit et: "Cur, sceleste," inquit, "ramum meum decidisti?" Mercator timore tremebundus: "O, domine urse," inquit, "sine me cum ramo hoc domum reversurum esse. Te perna magna et multis farciminibus donabo." Et ursus iratus: "Pernam farciminaque tua pro nihil duco. Peto a te, ut mihi tradas, quodcumque limen intrans primum videris." Et mercatori cum urso de ea re convenit. Cogitat secum: certe canis meus primus mihi obviam veniet. Eum sacrificari oportet, id quod valde doleo.

Sed domui appropinquans magno metu carpitur, nam filia minima natu prima ei obviam venit. Et pater miserrimus suos de re certiores facit multum gemens et lacrimans. Lacrimat sane cuncta familia praeter filiam minimam natu, quae fortem se praebet. "Fidem tuam", inquit, "urso obligavisti. Promissum solvi oportet." Et pater semper flens verbis filiae assentitur. Paucis diebus post ursus noster raeda splendida vehens ante mercatoris domum consistit et maxima voce. "Ecce me", inquit, "tu autem promisso tuo sta!" Pater miser nolens volens bestiae puellam tradit. Quae toto pectore contremiscens cum urso raeda proficiscitur. Itinere longo facto ad specum ingentem adveniunt. Ursus cum puella in specum intrat eamque per multa cubacula ducit. Erant autem plena draconum bufonumque. Ursus autem: "Noli timere, puellula," inquit, "mox fortunata eris. Peto abs te, ne oculos tuos in bestias has conicias. Demitte oculos! Nullum damnum capies." Et puella urso oboediens oculos non circumfert, quamquam undique imminent pericula. Postremo intrans in cubiculum decimum secundum. Refulget sane gemmis margaritisque. Soni tubae chordarumque ad puellae aures veniunt.

Et puella magno gaudio afficitur. Tum vero tonitrus auditur, deinde silentium fit. Ecce specus non iam specus est. Est regia splendida. Ursus autem non iam ursus est. Est iuvenis regis filius. Puellam osculat et: "Virtute tua", inquit, "me atque omnes meos e manibus venefici liberavisti. Nunc sponsa mea es." Et puella verbis eius valde delectatur. Et multi famuli vestibibus lautis induti apparent clamores plaususque facientes. Et iam cena nuptialis paratur. Parentes sororesque puellae in regiam ducuntur ibique vitam iucundissimam agunt. Ita parvus ramus nucis causa magnae fortunae erat.

(secundum fabulam originem trahentem e fabulis domini Bechstein).

Barbara Maier



SOLUTIONES

...aenigmatis logici, quod vobis in fasciculo 1/89 RVMORIS VARIi proposuimus, hic demonstrantur:

PRAENOMEN	NOMEN GENTILE	SEDES	RES VENALIA
Gaius	Petronius	Tusculum	Vinum
Quintus	Camillus	Capua	Bovae
Gnaeus	Fabius	Falerii	Poma
Antonius	Rufus	Ostia	Oves
Lucius	Cuculus	Neapolis	Fruentum

Homuncio mingens Bruxellensis

sex centum annos natus


De pompa sollemni seu maiore Bruxellis in urbe regii Belgii locum habente occasione dierum festorum laetissimorum data et oblata "homuncionis mingentis Iuliani" (Manneken-Pis). Symbolum libertatis civilis illud iam diem natalem DC^m egit seu celebravit.

"Risum teneatis, amici?"

(Quintus Horatius Flaccus, Ars poetica 5)

Bruxellenses autem atque praecipue sodales "Ordinis amicorum homuncionis mingentis" superbiunt pusione nudo illo ex aere facto, nam homuncio ille plurimum valet apud eos et symbolum qualitatum existimatur praeclararum: inrevertentiae, fortitudinis, alacritatis, audaciae ferociaeque. Nec quicquam pensi habens atque sine respectu regionis vicinae urbis et eorum, qui proxime stant, homuncio ille nudus nitidus venustusque mentulam manicula dextra sublevans omni sine pudore "officia sua exsequitur necessitatique naturaeque paret" atque alacri animo hilariterque in locum, ut ita aperte dicam, mingit.

Pusio ille, cui nomen Iuliano, admirationem efficit et dulcem motum sensibus eum spectantium adfert post hominum fere memoriam, abhinc namque 600 annos. Anno autem iam 1388° primum de puteo cum figura ahenea 60 paene centimetros alta commentarii rerum gestarum Bruxellenses mentionem faciunt atque ex eo tempore vestiunt fabulae innumerabiles Iulianum parvulum atque de eius ortu et primordio diligentissime perscribunt. Dicunt alii eum esse exemplum seu exemplar filii senatoris cuiusdam divitis, qui itinere deerratus et via deceptus tribus diebus post a patre iam desperato ac paene desperando animo aequo mingens est repertus. Dicunt alii eum puerum esse, qui "radio minctio-



nis" eius curiam urbanam seu bouleuterium servavit ab incendio interituque. Putant alii eum esse filium minorem natu comitis cuiusdam de Hove, qui tempore expeditionis primae cruciatae occasione processione sacramentis sanctis honorem tribuentis data et oblata omni delectu et discrimine omisso importune proterveque urinam reddidit vesicamque exoneravit.

Statuam autem illam aheneam anno 1619° collocavit Hieronymus de Cassaneo (vulgo Francogallice: Jérôme Duquesnoy), pater Francisci de Cassaneo (Francois Duquesnoy, 1597 - 1643). Pusio ille mingens decursu temporum usque ad hunc diem iam re et veritate 447 vestitibus ornatus indutusque erat, die autem 3° mensis Septembris anno 1988° 448° vestitu a sodalibus amicorum eius indutus est.

Anno autem 1698° elector Bavarius Maximilianus II. Emanuel (1662 - 1726) primus donavit pusioni mingenti vestitum. Vestitum secundum dedit Ludovicus XV. rex Francogalliae anno 1748°. Hoc saeculo mutationes innumerabiles vestituum sequuntur homuncionis mingentis, ut exempla adferam sicuti vestitum mutaverunt Mauritius Eduardus Sanctus Leo Caballerus (vulgo Francogallice: Maurice Edouard Saint-Léon Chevalier, 1888 - 1972), sicuti Elvisius Aharon Presley(us), sicuti Mohammedius Gadafi, sicuti Indus Americanus atque quae sunt reliqua.

Septiens iam homuncio mingens raptus est, tandem anno 1978° a studiosis universitatis Bruxellensis. Auctores autem facinoris a procuratoribus rerum urbanarum valde moniti atque de re interrogati sunt. Anno 1817° maleficus quisquam Antonius Lucas statuam rapuit et diffregit atque iudices eum ad opera publica coactiva per annos viginti damnaverunt.

Praeses autem Ordinis Amicorum Homuncionis Mingentis, Antonius Demol quisquam, pusionem mingentem Iulianum nuntium seu legatum bonae esse voluntatis putat, qui pro urbe Bruxellis atque pro omnibus Belgis conquisitionem viatorum voluptariorum seu peregrinorum factitare et comeatum periegeticum incitare debet. Hoc namque in votis est praefectorum urbis.

AMICUS



Graecorum philosophorum sententiae

Bias inter amicos rixantes diudicare molestius esse quam inter inimicos existimavit. Inter amicos enim superatum inimicum fieri, inter inimicos vincentem amicum.

Epictetus, qui ipse caelebs erat, Demonacti exprobrabat, quod uxorem non duceret et liberos gigneret, quia esset philosophi alium pro se ipso hominibus relinquere. Tandem Demonax, ut ille taceret, : "Consentio", ait, "si mihi unam ex filiis tuis uxorem das!"

Loquens de diversis philosophis et glorians se ipsum omnium illorum doctrinarum peritissimum esse Sidonis sophista docebat: "Si Aristoteles me vocat in Lyceum, sequar; si Plato in Academiam, veniam; si Zeno in Stoam, ibi versabor; si Pythagoras, silebo (1)." Statim Demonax inter audientes surrexit et exclamavit: "Pythagoras te vocat!"

(1) Pythagoras iussisse fertur aliquem tantum loqui, si quid silentio melius sciret.


Interroganti, qualia essent loca apud inferos, Demonax respondit: "Exspecta paululum; tibi scribam, cum ibi ero."

Nasutus aliquis Demonactem interrogaverat: "Si milia pondera ligni comburam, quantum fumi fiet?" Tum philosophus: "Pende cinerem, et omnia cetera fumus sunt!"

Diogenes alicui sibi maledicenti: "Non est mirum te id facere", inquit, "nam bene dicere non didicisti."

Atheniensibus eum exprobrantibus, quod nondum Minervae (apud Graecos: Athenae) deae sacra fecisset, Demonax respondit: "Veniam peto, non existimavi illam meis sacrificiis egere."

Daniel Weissmann



De Robertii South, poetae Anglici, carmine cum titulo musica incantans (1655)

Nondum annum unum et vicesimum compleverat Robertus South, orator ac poeta Anglicus (anno 1634 natus in oppido, quod vulgo Hackney vocatur), cum pulcherrimum illud carmen cum titulo Musica incantans (...) Oxonii typis excudendum curavit (1). Id carmen iuvenile, sexies inde ex ordine foras datum (2), non solum quia tale argumentum canebatur, quale apud poetas Latinos minus saepe legitur, sed etiam, quod historiola versibus facetis, lepidis, non sine sale pactis explicabatur, dignum nobis videbatur, quod iniqua ab oblivione vindicaretur. Lepos enim festivitasque, quibus postea orator publicus factus (3) in studiorum universitate Cantabrigiensi praestitit, in hisce versibus praeclare portenduntur eademque e variis atque diversis elementis compinguntur maximeque e verborum ambiguitate. At priusquam de his paulo uberius disseramus, fabularis huius historiae argumentum paucis enarrare lubet.

Iuvenis quidam illustrem symphoniacum et cantorem, qui convivantium animos exhilarare solebat, cum sub vesperum obviam habuisset, mutua salutatione facta, ad citharam praemiis excitavit. Qui, spe nummorum allectus, citharae fidibus scienter contentis, pulsabuloque in dextram sumpto, ut est citharoedi, tum intus canebat, tum modulatissimos cantus Ovidianos fundebat, modo de Philomelae fato questus, modo Iovis amoribus gavisus. At dum fidicen cantu effertur, iuvenis animo efferatur. Nam furor sensim ruit in artus et, quo magis moduli iuvenem permulcent atque capiunt, eo laetius serpit vesania, ut oculi illi rotentur, ferveat caput, pedes humi consistere nolle videantur. Mente etiam carminibus mirum quantum incantata, ad mare semilunaticus, dum animum lymphantem deponere cupit, accurrit; ubi sit, nescit. Nec tamen, visis ex alto loco fluctibus, contigit ei, ut cantus, quem intus clamosum audiebat, silesceret, immo, aestuantes undae citharam resonare videbantur. Nec mora, iuvenis, oculorum vertigine et animi captus, sese silentio et imo mari immisceri tantopere cupivit, omnia, modo cantus sileret, perpessus, ut repente in mari sese mergeret.

Paucis post diebus, cum res, sermonibus dissipata, in iudicium adducta esset, causicus, dum crimen citharoedum accusat, artem musicam hominum generi esse perniciosam exemplis argutis ostendit. Iamque fidicen causam amissurus esse videbatur, cum, abiecto timore, firmus prodit firmusque ad innocentiam probandam pro se ipse orat. In hac autem re causae cardinem posuit, quod iuvenis ad insaniam natus erat; itaque eum, dum ipse fidibus caneret, non quia caneret, in furorem abisse. Ceterum harmoniam, Aristoxenum philosophum secutus, cum sit anima, ipsam vitam esse commemorat. His dictis, haec ei poena indicta est, ut, cum ipsum Orpheum superasse visus esset, ad inferos descenderet eumque, quem cantu fortasse occidisset, cantu etiam ab inferis revocaret.

Hosce versus legentibus quo pacto risus moveatur, summatim explicare iam aggrediamur. At illud primum non praefari non possumus, poetam quasi e penu quodam musicae singula universa prompsisse, quae ad citharoedicum cantum spectarent (4). Itaque, ut alia praetereamus, pollicem tantum fides seu chordas pulsantem (v. 59) memoravit (5): quaestio enim est ceterisne quoque digitis citharicines ad cantum sint usu necne. Huc accedit, quod humanum animum bene investigavit furorisque signa bene depinxit:

"Prodit inassueto iam se dementia gestu,
huc illuc oculos rotat, ardet, et indice vultu
attoniti dat signa animi, cerebroque soluto
excurrunt profugi ruituro e vertice sensus.
Saepe caput quassat, tamquam vestigia cantus,
quae vel adhuc retinet, quae mente tenaciter haerent,
ex animo excuteret; saepe ore et vertice caelos
suspicit erecto, iurans temerarius illuc
se non venturum, quia dicitur aetheris axis
circumagi harmonia et volvi concentibus orbes. (...)
Parque furit pelagi turbati et pectoris aestus.
Nec fervente freto plus fluctus spumeus albet
quam spuma huic madido rabies quam fudit ab ore. (...)
Lethes optat aquas, sed cum contingere Lethen
non datur, aequoreis obliviam quaerit in undis,
diluat ex animo, ut cantus denturque dolenti
saltem inter mutos sibi tuta silentia pisces.

Dum spectat fluctus, rabiem mentisque tumultum
comparat aequoreo; nunc lata per aequora demens
ire cupit curasque animi committere ventis. (6)

(vv. 113 - 121; 124 - 126; 134 - 140)

Ad facetiarum leporem tandem aliquando transeamus, quas ante omnia e vocibus ancipitibus ortas esse memoravimus. Nam risus certe cooritur cum vocabulis - eis praesertim dico, quae ad musicen pertinent - ambigua significatio alligatur. Exempla, quae tanta e copia afferemus, satis declarabunt, quid dicamus eademque planum facient, quam considerate verba iudicaverit atque elegerit poeta. Nam nomen fili per facetias bis usurpatur. Postquam enim iuvenis aquis est immersus, ita poeta exclamat (vv. 179 - 181):

Hei mihi, quod tam dulce melos plectrumque canorum
non foret innocuum, nec ternae sola sororis,
sed citharae fuerint etiam fatalia fila! (7)

Haec autem poeta de fidicine Philomelae fabellam recitante (vv. 83 - 85):

Scilicet imprimis Philomelae flebile fatum
et querulam historiam referunt modulantia fila,
quam virgo narravit acu. (8)

Callide quidem comparatur iuvenis cum virgine quadam a Iove adamata (vv. 85 - 90):

Nunc furta deorum
innumerosque Iovis recinit lascivus amores.
Sed tamen haec iuvenis licet audiat omnia, solo
captus amore lyrae est et cum divina canuntur
furta, rapi a cithara potius sua pectora credit
vimque sibi inferri. (9)

His exemplis haec tantum adicimus:

occluditque oculos vere hac in morte natantes;
(v. 159) (10)

denique sic motus, sic toto est corpore raptus,
ipso animata putes ut corporis organa cantu;
(vv. 74 - 75) (11)

Accedit fidicen trepidans timideque labanti

voce loquens, tamquam tremor hic quoque musicus esset
- artis enim saepe est tremulas effingere voces.
(vv. 271 - 273) (12)

Poeta autem facetissimus nobis esse videtur dum antiquis
fabulis alludit atque exponit, quid antiquis, si fidicinem
illum audissent, contacturum fuisset:

Ignis Apollinei qui vi liquefactus in altos,
Icare, concideras fluctus, velocius isse
in medium, cithara compulsus Apollinis, aequor;
(vv. 210 - 212) (13)

Si foret hic pastor placidoque armenta gregesque
carmine mulceret cantuque per avia capras
cogeret errantes, miri vi carminis actus
in freta grex rueret praeceps pluresque videret
per mare Phrixus oves pelagusque immane natantes.
(vv. 199 - 203) (14)

Quid multa? Scatet carmen facetiis id genus, quarum vis
abundantia quadam, qua illorum temporum litteras insignie-
bantur, non mediocriter corroboratur. Itaque hi versus
paronomasias, repetita verba atque contraria contrariis
opposita suppeditant, tamquam si moduli quidam musici in
singulis symphoniae partibus iterentur atque varientur
(15).

Theodericus Sacré

Adnotatiunculae

- 1 Musica Incantans,/SIVE/POEMA/EXPRIMENS MUSICAE/VIRES,/Iuvenem in Insaniam adigentis,/ET/Musici inde Periculum./Authore ROBERTO SOUTH Art. Bac./Ex Aede Christi./OXONII,/Typis W.H. Impensis G.W. West, Anno Dom. 1667. Editionem principem, anno 1655 editam, non vidimus.
- 2 Oxonii, anno 1667; Londinii 1709; Londinii 1711; Londinii 1717; Bathiae 1774 (cfr. L. Bradner, Musae Anglicanae (...), (Modern Lang. Assoc. of America, General Ser., 10), New York, 1940 (=1966), pp. 281, 292, 359). His autem editionibus altera quaedam Londiniensis et ea anno 1717 foras data adiciatur (cfr. Brit. Mus. Catal.). Post annum 1800 complures editiones (in Southii operibus omnibus) secutae sunt. Carmen anno 1700 Anglice est versum.

- 3 Vide sis "The Dictionary of National Biography (...)", 18, London, 1937 - 1938), pp. 683 - 685.
- 4 Cfr. C. Daremberg-E. Saglio, Dictionnaire des antiquités grecques et romaines (...), 1, 2, Paris, 1887, pp. 1213 - 1217.
- 5 Cfr. Ovidius, Amores 2, 4, 27.
- 6 In eis locis, quos in hac commentatiuncula laudavimus, orthographiae et interpunctionis normas adhibuimus hodiernas.
- 7 Ternae sororis: sc. Parcarum fati fila nentium.
- 8 Philomela, cum a Thracum rege vitiata esset, quamquam lingua sibi abscisa erat, ne scelus indicaret, confecit tamen vestem multa arte intertextam, perquam miseram sortem narraret.
- 9 Verbum enim vim inferendi hic etiam vitiare designat.
- 10 Oculi moribundi hominis natantes dicuntur.
- 11 Organum etiam instrumentum musicum vocatur!
- 12 Italice tremolo - tremolando!
- 13 v. 210: Apollinei, i.e. Phoebi seu solis; v. 212: Apollinis, i.e. musices patroni.
- 14 Cfr. Hyginus, fab. III (Rose): 'Phrixus et Helle insania a Libero obiecta cum in silva errarent, Nebula mater eo dicitur venisse et arietem inauratum adduxisse (...) eumque natos suos ascendere iussit et Colchos ad regem Aeolum solis filium transire ibique arietem Marti immolare. Ita dicitur esse factum; quo cum ascendissent et aries eos in pelagus detulisset (...).'
- 15 Cfr. exempli gratia:
v. 32: iamque videre iuvat quia sic audire placebat.
v. 45: tam placida et concors fuit haec discordia fratrum (sc. chordarum).
v. 69: vox variare sonos, sic hic variare colores.
v. 216: at iam fama loquax, quae tam memorabile fatum.
v. 53: aptatas atque arte viam patefecit ad artem.
vv. 61-62: cumque animo iuvenis victo succumberet, uno concentu vicit fidicen cecinitque triumphum.
vv. 98-99: Vox, fateor, diversa sonat lyricique lyraeque,
sed sonat interea iuvenis vox una gementis.



DE PERSPICILLIS

De theoria sensus videndi antiqua et perspicilli inventione

Iam temporibus antiquis medici Graeci et Romani non ignoraverunt pilas vitreas vel gemmas politas ad urendum adhiberi posse. Tum multa vulnera usserunt, secundum doctrinam "urere et secare". Effectum pilae vitreae aqua plenae, non solum in urendo consistere, sed etiam ad parva maiora reddenda usui esse, iis bene notum erat. Verisimile est autem - ut Gotthold E. Lessing* verbis expressis Senecae ostendit - eos causam refractionis lucis "qualitati occultae" aquae attribuisse. Seneca haec tradidit: "Omnia per aquam videntibus longe esse maiora. Litterae quamvis minutae et obscurae, per vitream pilam aqua plenam maiores clarioresque cernuntur."

Rationes enim diversae de sensu videndi** eo tempore, quamvis inter se differentes, plerumque in opinione positae erant oculum aliquam substantiam aethericam emittere, quae res ante oculos sibi aequaret et eas conspicuas faceret. Empedocles Stoicus e.g. ardorem oculorum e pupillis fluere et una cum emanationibus (1) rerum radios formare docuit. Alii simpliciter opses (2) oculo emissos descripserunt. Secundum Galenum ex Pergamone, medicum anatomicumque praeclarum, pneuma (3) aethericum pupillis effluens se rebus coniungit. Hic mihi in mentem venit fellicula mea, quae noctu oculis quasi "pneumatice fulgentibus" de horto caeco in fenestram lucidam spicit. Salve Gallene! Pulchra est etiam imago "synaegiae Platonis", hoc est confluctio lucum ex oculo et caelo.

Tales erant theoriae emissionis lucis plurimorum medicorum physicorum, cum alii philosophi - praecipue Aristoteles - eis doctrinis non consentirent. Ergo qualitates ad refractionem lucis oculi humani pertinentes, structuram eius convexam lenticularemque (4) non perquisiverunt. Lens cri-

stallina - tum "humor crystallinus" nominata - pars ipsa videndi habebatur.

Itaque facile intellectu est homines eruditos illo tempore lentes opticas ad meliorem visum faciendum non creavisse, quamquam pilas vitreas gemmasque politas adhiberent. Nam talia remedia ophthalmologica, praecipue perspicilla, non ante tertium decimum saeculum faciebantur.

Fuerunt nonnulli, qui homines temporum antiquorum perspicillis uti dixerint; ad hanc rem testificandam verba C. Plinii Secundi attulerunt. Is enim scripserat: "Nero princeps gladiatorum pugnas spectabat smaragdo." At Gotthold E. Lessing* iam ducentos viginti annos ante istas interpretationes refellit; Neronem smaragdo aut speculo aut iucundi coloris viridis causa uti ostendit. Interea et historici et medici ocularii explicationes Gottholdi E. Lessing confirmaverunt.

Quantaecumque physicorum mathematicorumque Graecorum scientiae erant, tamen inventionem perspicilli aetati mediae occidentali debemus. Ex oriente lux, ex occidente perspicillum! Quis inventor quidem fuerit, nescimus. Qui vir ingeniosus primus beryllum (5) convexe politum, qui in scripta positus erat, ad oculos sustulit? Eratne Salvino degli Armati Florentinus aut monachus doctus Pisanus nomine Alessandro da Spina? Nescimus. Certum est autem gemmarum politores Venetienses iam anno MCCC° bryllis (ex quibus verbum Theodiscum "Brille" ortum est) atque crystallis (6) perspicilla polivisse, quae hominibus senioribus utilia fuerunt ad legendum. Scilicet ratione accurata laborare debuerunt; nam refractionis lucis intraocularis non ante saeculum septimum decimum a Johanne Kepler exacta descripta est. Perspicilla concave polita a saeculo XVI°, cylindrice polita demum a saeculo XIX° facta sunt.

Initio monoculi duo ligno inclusi et clavulo confixi sunt, ut in pictura videtur. Hi "bioculi" saepe manu tenebantur. Nam perspicillum ante oculos figere maximas difficultates praebebat; perspicilla aut in pilleis (8) et anulis caput circumdantibus fixa aut filis alligata aut in naso pressa sunt. Compages perspicillorum (9) non solum ligno, sed etiam metallo vel corio constiterunt. Compages post aures pertinentes, ut hodie uti soliti sumus, non ante octavum decimum saeculum apparuerunt. Mirabile, quia aures ad perspicillum figendum maxime idoneae sunt!

In pictura hic monstrata
perspicillum vere anti-
quum videtis; est enim
effigies vetustissima be-
ne conservata hominis
perspicillum ferentis.
Artifex nomine Tommaso da
Modena eam pinxit anno
MCCCLII°. In monasterio
Tarvisiensi (7) San Nic-
colo aspici potest.



Hos libros Theodisce nominatos consului:

- *Gotthold E. Lessing: Briefe antiquarischen Inhalts,
45. Brief
- **Huldrych M. Koelbing: Renaissance der Augenheil-
kunde 1540-1630, I. Teil
- Meyers Enzyklopädisches Lexikon in 25 Bänden, 4. Band

- | | |
|-----------------------------|---|
| 1 emanatio | Ausfluss (von geistig-seelischer Energie) |
| 2 opsis | Sehstrahl |
| 3 pneuma | Hauch, Odem, aetherische Substanz |
| 4 lenticularis | linsenförmig |
| 5 beryllus | durchsichtiger Edelstein (z.B. Smaragd,
Aquamarin) |
| 6 crystallus | Bergkristall (reinsten, glasklarer Quarz) |
| 7 Tarvisium | Treviso (Italien) |
| 8 pilleus | Filz, Filzkappe, Mütze |
| 9 compages per-
spicilli | Brillengestell |

Ursula Schwenk

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda
est ad adressam infra
stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

2/89

IDIBVS APRILIBVS

MCMLXXXIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 12

FASC. 76